



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Philippi Tomasini Sancti Georgij ab Alga  
Venetiarum Canonici Secularis De Donariis ac Tabellis  
Votivis Liber Singularis**

**Tomasini, Giacomo Filippo**

**Vtini, 1639**

XI. Puerorum Vota, & potissimum Capillitia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13253**

Libertatis etiam redditæ pro filijs parentes vota exsoluisse  
marmor hoc Romæ prodit, quo pater soli iucundissimæ lucis  
auctori pro filij restitutione diuinitus velut monitus tale mo-  
numentum statuit.

S O L I . S A C R

C. D V C E N I V S

C. L I B. P H O E B V S

F I L I V S. Z E N O N I S

N A T V S. I N. S Y R I A

N I S I B Y N. L I B E R

F A C T V S. R O M A E

E X. V I S V

V. S. L. M.

### C A P V T X I.

#### Puerorum Vota, & potissimum Capillitia.

**I**nsitum teneris quoq; puerorum animis fuisse Numinis  
cultum, satis prodit prima hominis ætas. Pueri nempe  
posita prætexta virilem togam sumpturi bullas Penatibus  
dabant. Persius Satyra v, vers. 30.

*Cum primum pauidos custos mihi purpura cessit*

*Bullaq; succinctis Laribus donata pependit.*

His enim Dijs commendatam fuisse pueritiam innuit Claudio-  
nus in 3. de raptu Proserpinæ:

*In fidis natam Laribus commisit alendam.*

Bullas tamen alijs quoq; Dijs appensas fuisse non obscurum  
est. Auream nempe ex catena aurea collo Veneris marmo-  
reæ propè Nemausum inuentæ alligatam se vidisse humanissi-  
mis ad me literis testatus est laudatæ memoriae Nicolaus Fa-  
bricius Dominus de Peyresch, cuius nunquam sine dolore me-  
minerim. Iunoni itē Bullam cum Scypho & Tripode dicatam  
constat ex Inscriptione Gruteri ad Hortos Bellaianos Romæ.

IVNONI PLACIDAE  
CONSERVATRICI AVGVSTAE

CLAUDIA SABBATIS

BULLAM D. D

ADDIT. ET. SCYPHVM. ET

TRIPODEM. FORTVNAE. AVG.

Ceterūni, Donaria Laribus congrua persequitur Calphur-  
nius Poeta Siculus Ecl. 2.

— pomiferi Laribus consuimus Horti

Mittere primicias, & fingere Liba.

Libum autem cibi genus ex farre, melle, & oleo conficieba-  
tur. Cuius inuentorem alij putabant Liberum Patrem. Ouid.  
3. Fastorum.

Liba Deo sunt, succis quia dulcibus idem

Gaudet, & à Baccho mella referta ferunt.

Sed verius à libando nomen traxit, quod libaretur priusquam  
esset cocta.

Nec solis frugibus placasse Deos satis fuit. Procedente  
paulum ætate solebant iuuenes COMAS caræ matris deli-  
ties rescindere, easque fluminibus eius loci primicias offerre,  
notante Scholiaste Homeri, & Pindari in tv. Odem Pythio-  
rum, Sic Ajax Telamonius Ilisso flumini crinem vovit. Ado-  
lescentes Romani Æsculapio. Statius Lib. I. 11. Sil. 4.

Accipe laudatos iuuenis Phœbeie crines.

Quos tibi Cæsarius donat puer, accipe latu.

Intonsoq; ostende patri.

Theseus Apollini Delphico, consuetudine recepta adole-  
scentibus, quam tetigit Martialis Lib. I. Epigr. 32. sed & Iouī,  
de quo Statius Lib. VI. vers. 197.

Iuppiter hunc crinem voti reis ante dicaram.

Sed Apollini barbam, Baccho etiam crines oblatos indicat  
idem Theb. Lib. VI. 11.

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Atheniensium vulgus Herculi capillos vovebat ex Hesychio;

Co-

Comas pariter Iuuenes *Hore*, seu ut alijs visum *Hebe* vouebant. Ea enim Dea est Iuuentutis, ut tradit Nonius Marcellus auctoritate Etinij:

*Te, Quirine pater, venereor, Horamq; Quirini.*

Hanc nonnulli eandem esse volunt, quæ Horta, abhortando dicta, qua mediante Iuuenum animi ad honestas actiones exhortarentur, & incitarentur. De qua D. Aug. Lib. vi. Cap. i. de Ciuitate Dei: *Iuuentas Dea cum Termino Ioui noluit concedere in Capitolio condendo*, quod comprobat Liuius Lib. v. quod Romanii in omen traxerunt, fore, ut nunquam termini Vrbis mouere intur, nec unquam iuuenilis vigor deesset. Hæc etiam Stimula fuit appellata ultra modum ad agendum stimulans, itemq; Hora ἀπὸ τῆς ὥρας, à videndo, ut Deam prouidentiæ, seu res inspicientem significet, cui inspicientem significet, cui Agonius Deus, & Agenonia Dea, item Murea & Peta actionum Dijiungabantur. Hos Deos iuuenes ad agendum excitare arbitrabatur Petronius: *cui Deo crinem vouisti Pharmace respondes?* Carinus apud Martialem

comamq;

*Tergameo posuit Dona sacra Eeo.*

Apud Stobæum Lib. vi, Deiphobum in Canoses, ut stigmata frontis comam se Deo vouere, legimus.

Quid verò Iuuenes memorem? Anchises etiam quod mireris, apud Agathium Scholasticum Epigr. Lib. vi. Cap. 6. Epigr. 2. venustè Comam quantumuis canam Veneri prioris ætatis reliquias dicat. Palladi Callirhoe comam posuit. c. 8. Epigr. xi. Pamphilion Capillos pingues, seu unguentis madidos Isidi Epigram. xii.

Nec Iuuenes tātū, sed VIRGINES etiā Voto interdū ab ipsa nativitate cōcepto crines Dijs vouebāt. Lucan. in Syria Dea:

*Sed qui isti Dijs, quibus Vot a capillitia.*

Idemq; Matrone Romanæ Dijs placandis obseruarunt. Liuius Lib. iii. strate passim matres crinibus templo verentes veniam irarum celestium finem pesti exposunt.

Ac

Ac necetera huius generis vota præteream Nauigantes  
tempestate urgente fusis precibus comam euulisse scribit in  
sua vita Libanius. Imo Capillos resciſſos in Auctus eiiciebant  
votis Neptuno placaturi. Petronius Satyr. Notauit sibi ad lu-  
nam tonsorem in tempestuō inherentem ministerio execratusq; omen, quod  
imitaretur naufragorum ultimum VOTVM in cubile reiectus est.

Serui etiam libertate donati capillos abſcidebant. Nonius  
235. Quilibet nebat, ea cuiuscaui erant, quod tempestate in seruitutis  
effugere, sicut in naufragio liberari solent. Hac de causa mulieres apud  
Hebræos captiuas abſcissa coma libertatis gratiam consecutas  
esse ex Deuteron. xxii. colligitur. Similiter & capitalis cri-  
minis reus absolutus radebatur apud Rōmanos antequam Ca-  
pitolum ascenderet, Martialis :

*Ad alta tonsum templa cum reum misit.*

Item, qui peregrinationem suscepisset, Capillum alicui Nu-  
mini deuouebat, & domum reuersus detonsum consecrabat.  
Papinius Statius Lib. vi. Thebaid. v. 608.

*Elaus ab inconfuso pendebat vertice crinis*

*Arcados.*

Hinc Cæſariem apud Hom. Iliad. xxiiii. in funere Patro-  
cli Sperchio amni, si in patriam redijſſet, deuouet Achilles.  
In Creta hodiè vxores comam rescissam in mariti funus proij-  
ciunt veluti extremum amoris Donarium. Quod in suis Ob-  
ſeruationib⁹ Cretius, quæ apud me sunt auctoris manu ex-  
aratae, notauit diligentissimus rerum exoticarum scriptor Ho-  
norius Belli, de quo ritu Ouidius in Fastis :

*Mixta bibunt molles lacrimis unguenta fauillaæ,*

*Vertice libatas accipiuntq; comas.*

Et clariūs multo Propert. Lib. i. El. 17.

*Ille meo caros donasset funere crines.*

Non secus ac crines atq; comæ BARBA Dijs sacrabatur?  
Suetonius de Nerone Cap. xii. Barbam primam posuit, condi-  
tamq; in auream pixidem, & pretiosissimis margaritis idornatam Ioui Ca-  
pitolino consecrati. Vbi cum Cælio Rhodigino Lib. xix. Cap. ii.

M Li-

Lipso, & Casaubono, malim Capitolini, auctoritate Dionis apud quem legitur τῷ διὶ τῷ Καπιτολίῳ. Quod is cognomen accepit à celebri templo ipsi erecto in Capitolio. Cuius statuam marmoream cum ædicula capiti imposita se Romæ vidisse restatur Vlysses Aldrouandus in Antiq. Romanis pag. 147. Græcos autem hoc Festum agnouisse, testis est Iulius Pollux, cùm Ephæbi primam barbam, & comam tenderent, cuius primicias Apollini & Fluminibus consecrabant. Quod ipsum Romani anno secundo & vigesimo Amicis conunio acceptis, in honorem numinis cuiusdam peragebant. Quem ritum ante longè Nazaræorum fuisse liquet. Num. Cap. vi. & Iudicū Cap. xvi. Et postea veterum inter ethnicos Sacerdotum, qui primos capitum, barbamq; pilos Dijis suis veluti Primitias sacrabant. Quam consuetudinem secuti fortassis antiquiores de fronte Victimæ euulos ante ipsius maculationem cum mola in ara villos cremare consueuerunt, ut memorat antiquissimus Poeta Homerus, atq; ex eo Virgilius vi. Aeneid: quæ prima dixerunt Libamina. Ceterum, quæ fuerit Neroni tantæ letitiae causa, optimè persequitur Dion interprete Io. Leunclauio Hist. Rom. Lib. 61. Visis nonnullis portentis, aruspices respondere, inten. um Neroni denunciari. Tunc sacrificia pro salute fecit. Post hæc celebravit festa alterius generis, quæ dicuntur Iuuenalia. ea propter barbam eius, qua tūm primum rasa fuerat, facta sunt: cuius pilos in spheram auream conieccos, Ioui Capitoline consecrauit. His Ludi interfuerunt multi sed in primis nobilissimi Viri. Cetera lectione omnino digna ad ingenij amœnitatem à curiosis lustrentur. Hoc unum addam, tantæ venerationis fuisse apud Veteres Comas, ut pro restitutione facta sibi capillorum, Votum factum constet ex hac Inscriptione desumpta ex autographis Pighij:

MINERVAE  
MEMORI. TULLI  
A. SUPERIANA. RES  
TITVTIONE. FACTA  
SIBI. CAPILLORVM

CA.